



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. V. Quomodo tollatur Irregularitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

larit. cap. 4. quaest. 1. docere, quod dubitans, an consilium, vel mandatum influxerit in homicidium, hoc etiam secuto, non incurrit irregularitatem in foro conscientiae, quamvis in foro exteriori, si constaret de consilio, declararetur incurrisse. Et Henr. lib. 14. cap. 13. addit, quod dubitans, an homicidium sit secutum ex vi propriae, an alterius actionis, non sit irregularis, quia ad incurrendam irregularitatem debet dubitans probabiliter reputare, quod ipse commiserit homicidium. Quam sententiam non putant improbabilem Suar., Salas, Rebell., & alii apud Bardi in Bullam Cruciatam part. 3. tract. 2. sect. 5., quia textus Canonici loquuntur de foro externo. Sed hisce opinionibus meum calculum addere superse-  
deo.

IX. Quarto sequitur, quod qui dubitat, an sit secutum homicidium, ad quod dedit suum consilium, non debeat se gerere ut irregularem; quia non constat de homicidio secuto. Hinc qui foeminae gravidae propinavit venenum ad abortum, si secuto abortu dubitatur, an foetus fuerit animatus, probabiliter non incurritur irregularitas. Ita apud Mojam in selectis quaest. tract. 5. quaest. 6. Praeposit. Bardi, Pelliz., & alii apud Dian. loc. laud. part. 4. tract. 2. resol. 16. contra Sanch., Avil., Rodriq., Mendo, & alios. Ratio doctrinae est, quia dubitatur de homicidio secuto. Et ratio a priori est, quia in dubio juris non incurritur irregularitas, ut communiter Doctores docent; sed in casu nostro dubium est juris, an scilicet sit imposita in jure irregularitas, quando dubium est de homicidio secuto, cum aliqui Doctores id asserant, alii negent, interpretantes varie textus Canonicos; ergo in tali casu irregularitas non incurritur; siquidem nunquam irregularitas incurritur, ni-

si sit in jure expressa.

Hinc nonnulli cum Praeposit., Machad., & aliis apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 24. docent, in dubio, an sit foetus mas, vel foemina, praesupponendum esse foeminam, ac proinde non esse animatum ante octogesimum diem, juxta communem opinionem asserentem cum Aristot., & Plin., mares animari quadragesimo die, & foeminas octogesimo; ut videre est apud Dian. part. 6. tract. 5. resol. 6. Verum benignis hisce opinionibus adversus hujusmodi scelestos non est facile utendum: Probabilior enim, & communior sententia docet cum Sanch. lib. 1. cap. 12. Avil., Molin., & aliis, irregularitatem incurri, etiamsi de homicidio non constet, quia universim in dubio talis delicti incurritur irregularitas.

#### ARTICULUS V.

Quomodo tollatur Irregularitas?

- I. Nonnulla irregularitates cessant, cessante earum causa. At quae proveniunt ex actu praeterito, qua tali, non qua moraliter perseverant, indigent dispensatione.
- II. Non cessat irregularitas per absolutionem, ut censura, nempe per actum judicalem; sed per dispensationem, quae est exceptio a lege communi, & dicitur vulnus legis.
- III. Quanam irregularitates per Baptismum tolluntur improprie; quanam vero proprie? Verius per Baptismum non tollitur irregularitas ex defectu lenitatis.
- IV. Episcopi in nonnullis dumtaxat irregularitatibus dispensare possunt.
- V. Num possit Episcopus secummet dispensare in iis irregularitatibus, in quibus id potest cum subditis suis? Num etiam cum Religiosis exemptis? Num cum suis subditis ex-

ira propriam Diocesim? *Quinam*  
*hac in re dicantur subditi* Episcopo?

*VI. Num possit Episcopus simpliciter dispensare, quando reus in iudicio est punitus, aut est absolutus? Et num Episcopi dispensatio profit pro foro externo?*

*VII. Prælati regulares, qui gaudent quasi Episcopali jurisdictione, dispensare possunt cum suis subditis in iis irregularitatibus, in quibus possunt Episcopi cum propriis subditis.*

*VIII. Dispensatio in irregularitatibus, quæ fit a Pontifice sine iusta causa, est illicita; quæ vero fit ab Episcopo, est etiam invalida.*

*IX. Etiam per verbum, Absolvo, dispensari potest irregularitas; quatenus ea est etiam quoddam vinculum, quo Irregularis irretitur, & per dispensationem dissolvitur.*

*X. Virtute Jubilæi non potest conferri dispensatio in irregularitatibus ullis, etiamsi irregularitates ex delicto essent censura, aut pœna Ecclesiastica.*

*XI. Dispensatio in Irregularitatibus non semper est totalis. Qui dispensatur indefinite ad Ordines, probabiliter ad omnes Ordines, etiam majores, dispensatur.*

*XII. Probabiliter rati habitio Superioris de præseni, quæ sufficit ad jurisdictionem conferendam, satis est ad dispensandum in irregularitatibus.*

*XIII. Num ad obtinendam dispensationem in pluribus irregularitatibus exprimi debeat numerus delictorum, ob quæ sint contracta?*

**I.** Certum est primo, multipliciter tolli posse irregularitatem. Primo, si tollatur causa irregularitatis, juxta illud, Cessante causa cessat effectus; In quo differt a censura; *Pars VIII.*

hæc enim, etiam cessante contumacia, tolli debet per absolutionem, ut diximus; Quare qui est irregularis, verbi gratia, quia est illiteratus, acquisita scientia sufficienti, liber est ipso facto a tali irregularitate; sic qui recenter est baptizatus, elapsis decem annis post baptismum, non dicitur amplius Neophytus, & sic amittit talem irregularitatem: Et idem dicas de pluribus aliis irregularitatibus, præsertim quæ proveniunt ex defectu corporis, vel animi (excepta ea, quæ oritur ex morbo caduco, vel furia; quia etiam post sanitatem remanet talis irregularitas, ex canon. 3. & 4. & 5. dist. 33.) Pariter cessante servitute, cessat irregularitas; Cessat etiam sublata illegimitate per subsequens matrimonium: Irregularitas vero orta ex infamia facti cessat per mutationem vitæ, aut loci; Et quæ oritur ex infamia juris, cessat, si hæc per sententiam, aut aliter abeat; Irregularitates tamen, quæ oriuntur ex actu præterito qua tali, & non qua moraliter perseverante, ut sunt omnes irregularitates ex delicto, ex bigamia, ex defectu lenitatis, &c., nunquam cessant sine dispensatione.

Secundo per professionem religiosam tollitur irregularitas ex defectu natalium relate ad suscipiendos Ordines; quamvis non relate ad prælaturas. Verum tamen est, plurimas Religiones habere privilegium, ut etiam illegitimi possint eligi in Prælatos. Sot. contendit, per professionem religiosam tolli omnem aliam irregularitatem, excepta bigamia, & homicidio voluntario: Sed hoc communiter negatur.

II. Tertio tollitur irregularitas per dispensationem, non vero per absolutionem; nam absolutio rigorose dicta importat actum judiciale liberantem reum a suo reatu; Contra vero dispensatio exceptionem a lege communi

Z

muni

muni significat; Quando autem Pontifex dispensat in irregularitate, non exercet actum iudiciale, sed solum eximit irregularem a prohibitione communi. Præterea absolutio est juxta jus, dispensatio vero est contra jus; unde fit, ut reum peracta pœnitentia debeat Judex absolvere, nunquam tamen tenetur Judex in irregularitate dispensare.

III. Quæritur nunc primo; An etiam per baptismum tollatur irregularitas?

Respondeo cum Avil. disp. 10. dub. 2., nullam irregularitatem proprie loquendo tolli per baptismum; siquidem ante baptismum nemo est irregularis, cum non sit subditus legibus Ecclesiasticis. Verum improprie loquendo irregularitates ex delicto per baptismum tolluntur, quatenus cum baptismo non confurgunt: Contra tamen irregularitates ex defectu per baptismum non tolluntur, quatenus cum baptismo confurgunt. Quare bigamus ex delicto, & homicida, si baptizentur, non sunt irregulares, sed sunt irregulares, si baptizentur cæci, claudi, &c., necnon bigami, quando bigamia oritur ex defectu significationis, & non ex delicto, ut notat Avil. ex August., D. Th., & aliis. De irregularitate tamen ex defectu lenitatis varie sentiunt Doctores apud eundem Avil. Aliqui putant cum Covarr. non tolli per baptismum, cum non fundetur in delicto: Alii probabilius cum Henr., Sylvest. putant tolli, quia licet non fundetur in peccato, fundatur tamen in illo titulo ministri justitiæ, vel militis, qui tollitur per baptismum, per quem homo mutatur in ovem mansuetam.

IV. Quæritur secundo; Quinam possit in Irregularitatibus dispensare?

Respondeo, cum omnis irregularitas proveniat ex jure Pontificio, potest Pontifex in omnibus dispensare: Episcopus vero jure ordinario non potest;

cum non possit inferior in lege superioris dispensare, nisi ei concedatur. Conceditur tamen Episcopis primo a Trident. cap. 6., ut dispensare possint cum suis subditis in irregularitatibus provenientes ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum, excepto homicidio voluntario: Præterea in cap. 1. de filiis Presbyterorum. in 6. conceditur Episcopis facultas dispensandi cum illegitimis ad ordines minores, & beneficium simplex, excepto Canonicatu Cathedralis Ecclesiæ, qui requirit Ordinem Sacrum. Possunt etiam Episcopi dispensare juxta probabilem opinionem (ut videre est apud Dian. part. 4. tract. 20. resol. 64., & sequentibus, & part. 7. tract. 2. resol. 25., & sequentibus) tum in irregularitate veræ bigamiz quoad Ordines minores, & simplex beneficium; tum in irregularitate occulta ex defectu natalium; tum in irregularitate ex defectu lenitatis; tum in ea ex mutilatione alicujus membri; tum demum in proveniente ex homicidio casuali etiam publico, & in orto ex repentina rixa, etsi directe volito, necnon in aliis casibus, ut constabit ex dicendis de irregularitatibus in particulari.

V. Dubium est primo; An possit Episcopus dare alteri facultatem, ut secum dispense in iis irregularitatibus, in quibus potest ipse cum aliis dispensare?

Respondeo, ut diximus de Censuris, affirmative; tum quia non debet esse Episcopus inferioris conditionis, quam Clerici inferiores; tum etiam quia jurisdictio hæc non est contentiosa, sed gratiosa; ergo potest Episcopus alteri committere, ut eam exerceat in ipsummet: Immo propter eandem rationem potest ipsemet sibi dispensare: Et idem dicitur de dispensatione votorum, & aliarum legum, quando quæritur, an possit Episcopus immediate secum in iis dispensare. Ita

Ita Bonac., Avil., Suar., & alii communiter.

Dubium est secundo; An possit Episcopus dispensare cum religiosis existentibus in sua Diocesi?

Respondeo cum Avil. part. 7. disp. 10. dub. 5., posse ex æquitate juris tam Prælatum monasterii exempti, quam Religiosum particularem de licentia sui Prælati sponte quoad hoc se subijcere Episcopo, & sic ab eo dispensari; sicut etiam a Censuris Papæ reservatis ex delicto occulto provenientibus absolvi. Ratio est, quia per exemptionem non deperditur id, quod est favorabile.

Dubium est tertio; An possit Episcopus dispensare cum suis subditis extra propriam Diocesim?

Respondeo cum eodem Avil. loc. cit., & Henr., quod licet possit Episcopus absolvere suos subditos extra territorium tam a peccatis, quam ab excommunicatione non reservata, eo quod talis jurisdictio sit gratiosa; non potest tamen dispensare in hujusmodi irregularitatibus, & aliis casibus Papæ reservatis, ut docent communius; quia id restringit Concilium sess. 24. cap. 6. dicens, quod id possint in Diocesi sua per seipsos, sive per Vicarium ad id specialiter deputandum.

Dubium est quarto; Quid veniat hic nomine subditorum erga Episcopum?

Respondeo, venire tam eos, qui in ejus Diocesi domicilium habent; quam qui in ea commorantur majori anni parte, ex Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 23.; necnon peregrinos, quales sunt scholastici, mercatores, &c. propriam Diocesim habentes, ad quam brevi sunt redituri, ex Dian. part. 7. tract. 2. resol. 2.; Ac demum vagos, ex Sanch. loc. cit.

VI. Dubium est quinto; An possit Episcopus dispensare in irregularitate proveniente ex delicto deducto in fo-

rum contentiosum, quando judicium est jam finitum, & reus est punitus, aut absolutus?

Respondeo cum Avil. loc. cit. dub. 7., Henr., Laym. contra Bonac., & Guttier. affirmative: Ratio est, quia intentum Concilii fuit conservare auctoritatem judicibus; hæc autem nihil immuitur in casu nostro; cum jam judex functus sit officio suo.

Dubium est sexto; An dispensatio hujusmodi data ab Episcopo profit etiam pro foro externo?

Respondeo cum Pal. affirmative; Ratio est ex Sanch. lib. 2. in Decalog. cap. 2., quia illa verba apposita in Trident. *pro foro conscientie* non cadunt supra dispensationem in irregularitatibus, sed supra absolutionem a reservatis; ut intelligatur relinqui judicibus potestatem puniendi delicta, quoties in judicio probantur.

VII. Dubium est ultimo; Possintne Prælati Regulares dispensare cum suis subditis in iis casibus, in quibus potest Episcopus cum suis subditis?

Respondeo affirmative. Ratio est, quia, ut docet Hurt., & alii apud Dian. part. 7. tract. 2. resol. 5., in Trident. loc. cit. nomine Episcoporum veniunt etiam Prælati Regulares, videlicet Generalis, & Provincialis, quippe qui quasi Episcopalem jurisdictionem habent cum suis subditis: Et consequenter, sicut Episcopi, ut supra diximus art. 2., possunt probabiliter dispensare etiam in irregularitate proveniente ex homicidio omnino occulto, quod scilicet probari non possit in judicio; ita etiam dispensare possunt in eadem Generales, & Provinciales cum subditis suis.

VIII. Quæritur tertio; An ad licite dispensandum in irregularitate requiratur aliqua causa, & quænam?

Respondeo cum Avil. hic disp. 10. dub. 1. procul dubio requiri causam: Quod probatur tum ex Trident. sess.

23. cap. 14., quod dicit, cum promotus per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa poterit dispensare; tum ex D. Th. p. 2. quaest. 97. art. 4., ubi universim docet, quod dispensatio in quacumque lege, si fiat sine causa, est illegitima.

Notandum tamen, quod si dispensatio fiat sine ulla causa a Pontifice, erit illicita, sed valida, ut docet idem Avil. contra Ananiam, & Cardinal; quia in iis, quae pertinent ad jus humanum, Papa non est dispensator, sed legislator, & dominus: Contra vero Episcopus illicite, & invalide dispensabit, quando conceditur illi facultas dispensandi ex justa causa: Immo etiam quando datur illi facultas dispensandi absolute. Ratio est, quia, ut docent communiter Doctores in de legibus, invalida est dispensatio obtenta sine justa causa a Praelatis dispensantibus in jure communi. Verum tamen est, majorem causam requiri ad dispensandum in irregularitate graviore: Exempli gratia, ad dispensandum in bigamia requiritur magna causa, quia inducta est ab Apostolis, & est quaedam imitatio juris divini; major etiam causa requiritur ad suscipiendos novos Ordines, quam ad ministrandum in susceptis.

IX. Quæritur quarto; Quanam forma dispensetur in irregularitatibus?

Respondeo, non requiri verba determinata, sed solum signum externum manifestans voluntatem Superioris. Solent tamen hujusmodi verba adhiberi: Dispensatio in irregularitate, quam propter hanc causam contraxisti, teque habilem officio ad susceptionem, & executionem Ordinum, & officiorum tuorum, quantum possum, In nomine Patris, &c. Si dicatur, Absolvo te ab irregularitate, &c., adhuc valida est dispensatio, ut communiter docent Recentiores; quia quamvis verbum, Absolvo, cadat po-

tius supra censuras, adhuc tamen potest aliquo modo cadere supra irregularitatem, quatenus est vinculum quoddam, quod per dispensationem dissolvitur.

X. Quæritur quinto; An virtute Jubilæi possit quis dispensari in irregularitatibus ex delicto provenientibus?

Respondeo, Thomistas docentes, irregularitatem ex delicto esse censuram, id asserere cum Sot., Bagn., Medin., Can., Cordub., & aliis; quamvis Sot., & Medin. negent posse absolvi irregularitatem ortam ex homicidio; quia in tali casu non solum habetur irregularitas ex delicto, sed etiam ex defectu lenitatis; quod tamen falsum esse ostendimus art. 2. Quare Guttier. cap. 3. Canonic. quaest. asserit etiam irregularitatem ex homicidio posse per bullam Cruciatæ, atque adeo vi etiam Jubilæi dispensari.

Nonnulli vero, qui cum communi negant, irregularitatem esse censuram, adhuc asserunt posse vi Jubilæi absolvi. Ratio est, quia saltem irregularitas ex delicto est poena Ecclesiastica; cum autem vi Jubilæi possit quilibet absolvi a censuris, & aliis sententiis, & poenis Ecclesiasticis, ut dicitur in Bulla; sequitur, quod possit etiam ab irregularitate ex delicto absolvi, seu dispensari. Ita nonnulli apud Summam Dian. V. *Censura* num. 1., & sententiam hanc probabilem docet Henr. de Indulgent. cap. 13.

Verum communis opinio negat cum Avil. part. 7. disp. 10. dub. 4., tum quia irregularitas non est censura, ut notavimus quaest. 1. art. 1.; tum etiam quia in Bulla Jubilæi, quando dicitur, quod possit quilibet absolvi ab omnibus censuris, & aliis sententiis, & poenis, nomine poenæ non venit irregularitas ex delicto, sed vel suspensio imposita a Confessario, ne ad tempus aliquis celebret, vel communice; vel poena qua Canones mandant

dant per aliquod tempus aliquem ad communionem non admitti; ut docet Navar. apud eundem Avil. Et ratio est, quia in eadem Bulla subduntur hæc verba: *Propter præsentem autem super aliqua irregularitate publica, vel occulta non intendimus dispensare.* Neque dicas, hæc verba debere intelligi de irregularitate ex defectu; Nam ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Quare etiam dato, quod irregularitas ex delicto dici possit non solum pœna Ecclesiastica, sed etiam censura, tamen adhuc verè, & proprie venit sub nomine irregularitatis; cum ergo Pontifex super ulla irregularitate non permittat dispensari, sequitur, quod nec super irregularitate ex delicto. Adde ex Bonac. quæst. ult., idcirco in Jubilæis concedi facultatem absolvendi ab omnibus censuris, & pœnis, ut possint fideles, sublato tali impedimento, lucrari jubilæum; atqui irregularitates non sunt impedimentum ad consecutionem jubilæi; ergo non est cur debeant per jubilæum dispensari. Unde Mendo in Epitome V. *Irregularitas* num. 11. dicit, non posse sine formidine fateri, certo probabilem esse sententiam contrariam; quamvis illam doctissimi viri teneant; quia stylus Curia, qui facit jus, tali sententiæ adversatur.

XI. Quæritur sexto; An dispensatio in irregularitate semper debeat esse totalis?

Respondeo cum communi negative; potest enim irregularis aliquando dispensari, verbi gratia, ad unum Ordinem, non ad omnes, vel dispensari ad usum Ordinis suscepti, non vero ad alios suscipiendos. Unde dispensatus ad Ordines minores non potest promoveri ad majores, & dispensatio ad Ordines majores non includit dispensationem ad beneficia curata, seu quæ prælationem, & jurisdictionem

nem habent: Immo dubium est apud Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 1., an dispensatio ad Ordines includat dispensationem ad beneficium simplex; Multi enim affirmant; Sed ipse Sanch. cum aliis negat, si dispensatio sit ad Ordines minores tantum; quia isti non necessario connectuntur cum beneficio simplici: Econtra, dispensatus ad Subdiaconatum, verbi gratia, cenetur dispensatus ad Ordines minores, cum non possit ordinari per saltum; & dispensatus ad exercitium Ordinum majorum cenetur etiam ad exercitium minorum; Sicut dispensatus ad beneficium, quod exigit aliquem Ordinem, cenetur dispensatus ad talem Ordinem.

Qui tamen indefinite dispensatur ad Ordines, multi tenent apud Sanch. lib. 4. de matrim. disp. 1., quod non possit nisi minores Ordines suscipere; eo quod dispensatio, utpote odiosa, (est enim odium juris, & veluti vulnus legis) stricte interpretanda sit, ex cap. 1. *de filiis Presbyterorum*. Suar. tamen sect. 3. existimat, regulam hanc non esse universaliter veram; cum propositio indefinita sæpe æquivalet universali, ita ut idem sit dicere, *Dispenso ad Ordines*, ac *Dispenso ad Ordines omnes*. Quare, quando verba indefinita stricte debeant interpretari, judicandum est juxta materiam subjectam, & juxta receptum verborum sensum.

XII. Quæritur septimo; An sit signum, quod Superior dispense in irregularitate, si videat irregularem exercere aliquem Ordinem; Verbi gratia, si videat aliquem publicum irregularem celebrare, & confessiones audire, & tamen taceat, cum possit illum cohibere?

Respondent communiter negative; quia superior in tali casu patitur potius, quam agit, seu tolerat transgressionem potius, quam dispensat.

San-

Sanch. tamen lib. 8. de matrim. disp. 1. cum aliis affirmat, quoties Prælati facile contradicere potest, & non contradicit, sed tacet: talis enim taciturnitas est quædam rati habitio de præfenti; quæ cum sufficiat ad confessiones audiendas, seu ad jurisdictionem communicandam, a fortiori sufficit ad dispensandum.

XIII. Quæritur ultimo; An ad obtinendam dispensationem oporteat exprimere numerum delictorum, propter quæ contracta est irregularitas?

Respondeo cum Avil. loc. cit. dub. 8., Bonac., & aliis contra Rodriq. part. 1. cap. 182., quod quamvis opus sit exprimere delicta diversæ rationis; (quandoquidem ob illa incuruntur diversæ irregularitates) non est tamen opus exprimere numerum delictorum ejusdem speciei: Quare si quis excommunicatus pluries celebravit, quamvis non possit dicere, quod semel censuram violaverit per exercitium Ordinis Sacri, tamen satis est, si dicat, se esse irregularem, quia celebravit excommunicatus. Ratio ex Navar. est, quia hic est stylus Curie. Et quamvis controversum sit apud

Doctores, utrum qui propter eandem causam pluries repetitam incurrit excommunicationem, vel irregularitatem, plures, an unam tantum excommunicationem, aut irregularitatem incurrat; & communis cum Navar. doceant, quod plures: Nihilominus quoad praxim parum refert, utrum sint una, an plures; quia censentur esse una gravior, & una sublata ex stylo Curie tolluntur omnes; ut fusc Avil. ostendit cum de excommunicat. part. 2. cap. 6. disp. 2. dub. 3.

Con. tamen num. 112. ex Suar. disp. 44. sect. 3. putat, quod qui plures homines occidit, debeat exprimere numerum homicidiorum. Avil. vero docet, quod si quis occidat Presbyterum, non satis sit dicere, quod occiderit hominem, quia jura jubent exprimi delictum, ob quod contracta est irregularitas; Presbytericidium autem est delictum gravissime qualificatum, & longe gravius homicidio; unde exprimi debet. Sic etiam qui suspensus, & excommunicatus celebravit, debet utramque censuram exprimere.

QUE